VOTVM

Illustrissimi, & Reuerendissimi D.

DE ALTERIIS

Reu. Cam. Apost. Clerici

IN CAVSA

Romana Successionis.

Super Iuribus Monasterij Sancti Bernardini ex persona Sororis Mariæ Constantiæ.

Veneris 10. *Iunij* 1718.



ROMÆ, MDCCXIX.

Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.
Superiorum permissu.

QVI religiosos cætus ingrediuntur, quo securè, ac etiam facilè salutem suam operentur, non solùm Monasterio offerunt sese, verùm etiam res suas, vndè vniuersa, quæ habent ad illud deuoluuntur *Can. Quia* 19. *quæst.* 3. *cap. Si qua Mulier* 19. *quæst.* 3. *cap. in præsentia* 8. *de probat.auth. Ingressi C.de Sacrosanct. Eccles.* Hinc Monasterium S. Bernardini, in quo Soror Maria Constantia Pallauicina professionem emisit, tria proponebat: Primum quod d. Monialis sit filia naturalis Marchionis Pallauicini; Alterum quod per solemnem professionem, in qua Deo se obtulit, deleta natalium macula, legitima facta fuerit, atque capax euaserit Paternæ successionis in Monasterium transferendæ, proptereàque totam Marchionis hæreditatem ad se pertinere; Tertium, quod si à Religiosa professione ius legitimationis non acquisiuit, saltem tamquam filia naturalis succedat in duabus Vncijs hæreditatis Paternæ. Cum autem quæstionem facti, quod ad filiationem Monialis spectat, iuris articulus absorbeat, DD., nè inanem laborem susciperent, nihil definierunt, sed ea, citrà approbationem, præsupposita, instantiam hanc Monasterij, tamquam legibus apertissimè refragantem, reijciendam censuerunt.

Fundamentum Monasterij in eo figebatur, quod Imperatores Theodosius, Valens, & Anastasius sanxerunt, naturales filios oblatos Curiæ ad obeunda Reipublicæ munera, legitimos fieri, & capaces succedendi Parentibus ab intestato, & ex Testamento *l. Si quis, & l. Iubemus C. de Natural. liber. instit. de hæred. quæ ab intestat. defer.* §. *Quibus*, & etiam in Sententia *Guglielmi de Cuneo in leg.* 1. *C. de Sacrosanct. Eccles.* dicentis: *Filium naturalem per ingressum in Monasterium legitimari ad Paternam successionem per oblationem Curiæ Cęlesti, sicuti legitimatur per oblationem Curiæ Seculari*, quam Sententiam sequuti sunt aliqui fauore pietatis, & Religionis.

Ad detegendam huius Cuneanæ opinionis insubsistentiam (dicebat vnus ex DD.) operæ pretium est aduertere cum *Couaruu. tit. de Sponsal. part.2. cap.8. §.7. in fin. pag. mihi 207.* dicente = *quo fit, vt nec illa legitimatio admittenda sit, quam per oblationem Curię Cęlesti, idest Religioni factam à Iure concedi voluit Guglielm. de Cuneo in l. 1. C. de Sacros. Eccles. ad exemplum huius legitimationis, quæ fit per oblationem Curiæ Principis sæcularis: quæ quidem extensio, & si frequentiori iudicio probetur, iure tamen procedere nequit, quia oblatus Curiæ Cæsaris, ideò legitimus fit, quod præsumatur legitimus ab ipso Cæsare effectus in præmium illius Ministerii, cui filius illegitimus addictus est; quæ fictio non conuenit oblationi, quæ Curiæ Cælesti fit.*

Couarruuiæ consensit *Roderic. Suarez allegat.25. per tot.*, ac multi insignis nominis Doctores mox recensendis pluribus rationibus.

Prima, quia oblatio Curiæ operabatur legitimationem *quo ad masculos tantùm*, qui capessere valebant munera publica, non autem quo ad fęminas, nisi nuberent alteri addicto Curiæ *Faber. §. Aliquando num.1. Instit. de nupt., & alii communiter.*

Secunda, quia per oblationem Curiæ, non legitimabantur omnes Spurij, *sed naturales tantum*, hoc est nati ex vero Concubinatu Iure ciuili permisso *Auth. quib. mod. natural. effic. sui §. Si quis igitur* ibi = *sed solummodo naturalium*, & *l. Quoniam C. de natural. liber.* exclusis alijs ex damnato, & punibili coitu, vt aduertunt *Bero cons. 163. num. 33. lib.2. Peregrin. de Iur. Fisci lib.3. tit.18. à num.1. ad 4.*

Tertia, quia oblatio Curiæ causans oblati legitimationem, vsu sublata est, vt præter adductos, & adducendos de materia tractantes aduertit etiam *Angel. de Perus. cons.17. vers. hodiè tamen*. Vndè satis absurdum videtur, ipsa origine rei sublata, eius imaginem derelinqui *l. 1. C. de latin. liber. tollen.* cum hæ curiales oblationes, sęcularis & religiosa adeò inter se discrepent, bona similitudo, vel consequentia vnius ad alteram duci non potest: Sic contra *Cuneum* argumentatur *Bero d.cons.163. sub num.33. lib.2.*

Pro quarta ratione est aduertendum, quod legitimatio per oblationem Curiæ tribuit ius succedendi, *si Pater voluerit l. iubemus, & l. humanitatis C. de natural. liber. Royas epitom. success. cap.11. num.8. & seq. tractat. diuers. tom.8. part.1. pag.403. tergo:* Vndè Pater, offerendo filium, aut filiam Curiæ Cęlesti, curare potest, renunciationem, & abdicationem à succedendo per eum fieri *Suar. dicta allegat.25. num.4. vers. septimo, & hæc videntur*, quam renunciationem in præsenti sub amplissima, & validissima forma reportauit Nicolaus Maria Pallauicinus, cum filiam obtulit Monasterio Sancti Bernardini, & nedum congruè, sed duplicata cumulauit eam dote, vt apposite *Suar.* loco mox indicato. Huius-

Huiusmodi renunciatione attenta Filia tametsi legitima, vel legitimata, non succedit Patri ab Intestato morienti iuxtà vulgata Doctorum, & Tribunalium placita, de quibus in ipsissimis terminis *Roman. cons.43. num.6., & seqq.*, quem laudant, & sequuntur *Seisell. in l. Lucius Titius num.4. ff. de vulgar., & pupillar. Iason. cons.68. num.26., & seqq. lib.3. Soccin. Iun. cons.43. num.2. lib.3. Roland. cons.95. num.19., & seqq. lib.3. Peregrin. de Iur. Fisc. lib.3. tit.18. num.15. ad fin. Galerat. de renunciat. lib.2. cap.5. à num.17. ad* 19. Ratio apud prædictos est, quod paria sunt, quem mortuum esse, vel succedere non velle, aut non posse, obstante sibi d. renunciatione reali, extinctiua, & abdicatiua.

Priuilegium pietatis, & religionis frustrà obtenditur à Cuneo, & sequacibus, nàm friuolus est, & insubsistens prætextus, vt *Baldus inquit in d. lege 1. num.102. C. de Sacros. Eccles.* ibi = *Non dicitur ad pias Causas licèt sit Patris ergà filium, tamen non est pietas de qua loquimur hic: Sed est quædam naturalis compassio, non religio ad ipsum Deum, pròut in materia nostra sumitur*.

Rationibus huc vsque perpensis opinio Guglielmi de Cuneo reprobatur nedum à *Couarruu.*, *Bero*, *& Suarez.* locis prænotatis, sed à *Siluestro in Summ. verbo legitimus num.4. in fin. à Vasquez. de Success. progress. lib.1. §. 2. à num.55. ad* 60. dicente Cunei opinionem esse phantasticam, similem vmbris, & somnijs, lege, & ratione destitutam, à *Soccin. Iun. cons.48. n.19. lib.4. à Merlin. de legitim. lib.1. tit.2. quæst.6. num.15. à Sanchez. in præcept. Decalog. lib.5. cap.5. num.26., à Carol. Anton. de Luc. de lin. legal. artic.* 102. *à num.4. ad fin. lib.2., à Rot. coram Mantic. decis.32. num.4. coram Buratt. decis.872. num.6. in rec. decis.310. num.32. part.18. tom.1., & decis.480. num.10., & seqq. d. part.18. tom.2.* Etenim hæreditates Defunctorum ex legibus deferuntur §. 1. *Instit. de hæredit. ab Intestat.* non ex opinione Doctorum, quibus permissum non est extendere leges ad casus non expressos in eis *Peregrin. de Iur. Fisc. tit.3. num.5., & 13. lib.4.*

Cæterum ad expellendam prætensam legitimationem Sororis Mariæ Constantiæ ob ingressum in Religionem fortiora etiam vrgent argumenta. Triplex assignatur Causa prohibendi illigitimos, nè ad Sacros ordines promoueantur, prima est excellentia Ordinis, qui turpibus, ac infamibus conferri non potest, *cap. inter dilectos de excess. Prælat.* Secunda detestatio criminis Paterni, quod punitur in filio, vt per id puniatur & Pater *cap. cum ergo §. Sed qui 24. quæst.3. leg. isti quidem §. Verò ff. de eo quod à met caus. l. Quisquis Cod. ad l. Iuliam Maiestat.* Tertia est timor paternæ incontinentiæ *cap. quando generalitèr distinct. 24., & cap. Si gens distinct. 56.* cum autem antè professionem Vir illegitimus, tempore probationis,

 ca-

castam, & sanctam vitæ consuetudinem egerit, & eidem vitæ rationi voto se adstrinxerit, patet quod omnem maculam Paternam purgauit, nec in eo timor Paternæ incontinentiæ amplius adest, & ideò dignis suffragantibus meritis absque alia dispensatione potest ad Sacros Ordines promoueri, vt disertè docet *Abb. in cap. Præsentium de fil. Presbit.*, *& Gloss. in cap. 2. de apostat.* ait = *Irregularitas illa, quæ consurgit ex proprio delicto non tollitur per ingressum Religionis, sed fauore Religionis cum eo dispensatur: Cum vero non surgit ex delicto proprio, tunc per Ingressum Religionis tollitur illa irregularitas, ità quod potest sinè dispensatione ad Ordines promoueri*, & hanc *Gloss.* opinionem sequuntur *Abb. ibidem Felin. in cap. cum Deputati num. 2. de Iudic. Couarr. in Clementin. si furiosus par. 1. § 2. nu. 6., Ricc. par. 1. dec. 82. num. 4.*

Illegitimus ergò cum ob delictum Paternum per Sacras leges sit irregularis, hoc vnum per Ingressum Religionis, acquirit, quod censetur, & est à dicta irregularitate dispensatus non quidem plenariè, sed ad præscriptum vnum finem, quod absque dispensatione Apostolica Sacris Ordinibus decoretur, quod caret dubitatione, quandoquidem *Text. in dicto cap. 1. de fil. Presbyt.* ait = *vt filii Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad Sacros Ordines non promoueantur, nisi aut Monaci fiant, vel in Congregatione Canonica regularitèr viuentes: Prælationem verò nullatenus habeant*, sanè si Religiosa professio legitimos efficeret filios ex fornicatione natos, non eos in ipsa Religione à consequendis Prælaturis ius Sacrum arceret: Cum itaque inhabiles perpetuò sint ad dignitates, administrationes, & officia, argumentum est vndequaque iustum, quod etiã in Claustris remanent illegitimi, quamuis ad Ordines dispensati *Gloss. in cap. 2. de Apostat., & ibi Fagnan. nu. 14., & seqq. Abb. in d. cap. 1. de fil. Presbyterorum num. 3., Barbos. in collect. Doct. super d. cap. 2. de Apost., Gratian. discept. forens. cap. 218. num. 67., Sayr. de Censur. lib. 6. cap. 11. nu. 3. Ricc. d. decis. 82. nu. 4.*, & quod non solum id procedat in Ecclesijs Regularium, sed etiam in Ecclesijs secularibus tradit *Abbas in d. cap. 1. de Apost. num. 6.* ibi = *Quæro an excludatur à Prælatione tàm in eisdem, quam in aliis Monasteriis, dic, quod sic, imò nec in Ecclesia seculari*, quem sequitur *Maiol. de irregul. lib. 1. cap. 10. num. 3.*

Si autem religiosa professio nullam illegitimo inserit legitimationem in ipso Monasterio, multo minùs illi prodest, vt in sæculo capax iudicetur acquirendi successiones illi ab legibus ademptas, cum hæc dispensatio in temporalibus rebus nullum locum mereatur, vt præ cæteris aduertit *Felin. in dicto cap. cum deputati num. 2. de Iudic.* ibi = *Doctores concludunt, quod Religio tollit irregularitatem ortam sinè culpa, sicut est illegitimitatis: hoc intellige quo ad actus spiritua-*

les

les , puta ordines , secus in actibus temporalibus.

Eliminata successione vniuersali, quam Monasterium ad se pertinere contendebat, eliminatur quoque successio particularis in duabus vncijs, quas filijs naturalibus leges tribuunt ex hæreditate Patris sine sobole legitima ab intestato defuncti cum Matre repartiendas iuxtà *dd.Text.in §.Consideremus Auth.de trient., & semiss.Auth.quib.mod. natural. efficiant.sui §. Discretis Auth. licet C. de natural. liber.*, Etenim obstat Monasterio renunciatio dictæ Monialis, quam intuitu Religionis peregit, in qua declarauit velle *restare affatto spogliata d'ognipensiere , e cura di cose temporali , acciò più liberamente , e speditamente possi seruire à Dio , e attendere con tutto il cuore alla salute della propria anima ; auer per ciò risoluto , e deliberato di fare l'infrascritta generale , reale , generalissima , e realissima , estintiua e spogliatiua rinuncia &c. à fauore de' Genitori , consanguinei , e di tutti , e singoli altri suoi Parenti , e di qualsiuoglia altra Persona , benchè qui non espressa , con le quali essa Signora esponente , ò altri per essa auessero , ò potessero auere alcun interesse &c. tutte , e singole raggioni , azioni , e pretenzioni , porzioni , eredità , e successioni presenti , e future , che essa hà , e tiene , ò alle quali hà speranza d'auer Ius , & azione anche insperate , e tanto per causa del passato , che del presente , e futuro , che gli competono , e spettano , e che potessero in qualsiuoglia modo , e per qualsiuoglia causa , benchè qui non espressa competere anche per causa d'alimenti , legitima douuti per raggione di natura , ò suo supplemento , ò altra qualsiuoglia detrazione , raggione , e portione sopra tutti i Beni Paterni , Materni &c. non escludendo cos'alcuna , nè riseruando per se stessa , nè per detto Monastero , di modo che la presente rinunzia sia ampla, reale , generale , realissima , generalissima , estintiua , & abdicatiua &c.*

Duo exindè eliciuntur, primum, quod per dotationem reportatam à Patre, cuius respectu facta fuit renunciatio, filia Monasterium ingressa alimentis non indiget, nam semper dum viuit, alimentis à Monasterio substentabitur, adeoque Pater per hanc dotationem satisfecit naturæ debito alendi filiam naturalem *l. vnic. §.Sed scimus Cod. de latin. libert. tollen.*, *Peregrin. de iur. Fisc. lib. 3. tit. 18. à num. 69. ad 73.*, dicens post *Bald.*, quod obligatus alere, suæ satisfacit obligationi, si per suam industriam prouidit, quod alimentarius recipiatur in hospitali, vel domo publica, in qua morari possit *Royas in epitom. success. cap. 22. num. 1., & seqq.*, firmans Patrem non teneri prestare alimenta filio naturali habenti aliundè *tractat. diuers. tom. 8. parte 1. pag. 402. Capyc. Galeott. controu. 37. num. 19. lib. 2.*, cui sententiæ assentitur *Couaruu. Epitom. de sponsal. parte 2. cap. 8. §. 6. num. 9.*, dummodò locus publicus, in quo reperiatur filius alimentandus, sit decens, & conueniens Patri, &

 filio,

filio; nullum sanè decentiorem locum alendæ filiæ Marchio constituere poterat, quam Monasterium.

Hoc autem argumentum auget animaduersio, quod portio hæreditatis Paternæ per leges titulo alimentorum naturalibus decernitur, nam *Text. in Auth. licet Cod. de natural. liber.* pro ratione addicendi naturali filio duas ex Paterna hæreditate vncias inquit = *huiusmodi enim naturales filios pasci boni viri arbitrio est necesse*, & Iustinianus *in dicto* §. *Consideremus* profitetur moueri erga naturales filios *ex sola ad naturam clementia*. Iam verò cessante propter collocationem filiæ in Monasterio, mediante dote tradita à Marchione, causa obligationis alendi filiam in futurum, cessare debet obligatio Patris, seu eius hæreditatis, quæ non tenetur præstare alimenta filijs naturalibus, si isti, extrà substantiam Patris, aliundè habent vndè sibi de alimentis prouidere possint, vt præter punctuales authoritates *Peregrin. Couarruu.*, *ac Reyas vbi supra*, firmant *Molin. de Primogen. Hyspan. lib. 2. num. 46.*, *Paleott. de Not.*, *& Spur. cap. 48. num. 6.*, *Surd. de Aliment. quæst. 9. num. 5.*, & 6., *Benintend. decis. Bonon. 22. num. 10.*, *Rot. decis. 603. num. 20.*, & 21. *parte 18. tom. 2. rec.*

Alterum, quod à renunciatione desumitur argumentum euincens insubsistentiam prætensionis Monasterij, illud est, quod renunciatio Sororis Mariæ Constantiæ est renunciatio realis, seù abdicatiua, & quidem purè talis; nam non solùm ita in contractu exprimitur, *di modo che la presente rinuncia sia ampla, reale, generale, realissima, estintiua, & abdicatiua*, quod sufficeret vt de hac renunciatione alitèr iudicari non posset, vt probat *Text. in l. qui fundum* 40 §. *Qui agrum vers. fundi ff. de contrahend. empt.*, *Menoch. cons. 105. num. 1. lib. 3.*, *Cyriac. controu. 440. num. 3.*, *de Luc. de emphit. disc. 31. num. 7.*, *Rocc. disput. iur. select. cap. 67. num. 1.*, *Rot. in rec. decis. 14. num. 4. parte 6.*, & *coram Cels. decis. 328. num. 2.*, sed etiam quia facta legitur = *à fauore de Genitori, consanguinei, e di tutti, e singoli altri suoi Parenti, e di qualsiuoglia altra Persona, benchè qui non espressa, con le quali essa Signora esponente, ò altri per essa auessero, ò potessero auere alcun interesse*.

Si igitur suapte natura realis renunciatio omnibus prodest, qui in reiis habere possunt, iuxta congesta *per Menoch. cons. 1008. num. 25. & de præsumpt. lib. 4. præs. 27. num. 14.*, *Barbos. tract. var. appellat. 254. num. 40.*, *Mans. consult. 31. num. 1.*, *Palm. nep. alleg. 2. num. 16.*, *Rot. in recent. parte 6. decision. 207. numer. 7.* Ecce quod negari nequit, renunciationem hanc esse realem, cum in ea expressa legatur contemplatio, & fauor omnium, qui à Moniali renunciante ius aliquod haurire possunt, & illud operatur, vt perindè successiones deferantur ac si Monialis vel numquam nata,

vel

vel mortua fuisset, *Caren. resolut.* 245. *num.* 5., *Schettin. de pact. success. part.* 3. *sect.* 5. *num.* 3., & *sect.* 8. *num.* 52., *Torr. de primogen. Italiæ part.* 2. *quæst.* 16. *num.* 94., *Rot. coram Otthobon. decis.* 10. *num.* 39. *post consil. Ramon. decis.* 1. *num.* 9. *tom.* 2., & *in Eugubina Immissionis* 11. *Maii* 1711. §. *Non minori coram R. P. D. Kaunitz*, adeout hæc renunciatio non prodest renunciatarijs per aliquam Iurium translationem, quasi per eam censeatur Ius illis acquisitum, sed per quamdam consequentiam, & vigore abdicationis, & priuationis, scilicèt, quia amota Moniali renunciante, quæ in rebus renunciatis ius habere poterat, necessariò sequitur, debere ijs fieri locum, ad quos si dicta Monialis non extitisset, Iura eiusdem peruentura essent, & hoc modo hæc renunciatio prodest omnibus, non per modum acquisitionis, sed per modum remotionis obstaculi, vt post *Bald.*, & *alios* egregiè docet *Bellon. de Iur. accrescendi cap.* 10. *quæst.* 28. *num.* 15., & 16.,

Nec ritè asserebatur, quod isthæc renunciatio sit quidem realis, sed simul etiam censenda sit personalis, seù translatiua; etenim vbi in renunciatione specialitèr non contemplatur aliqua persona, in quam renuncians, mutando, seù alterando successionis legalis ordinem, ius suum transferat, quod renunciatario per legem non spectaret, sed omnes Affines, & Consangùinei omninò æqualitèr iuxtà cuiusque qualitatem, gradum, & interesse contemplati sunt, eo casu nullo modo Renunciatio dici potest personalis, seù translatiua, sed est purè abdicatiua, cuius effectus nullus alius est, nisi subtractio Renunciantis, quasi non extitisset, nec extaret in rerum natura, vndè successio tàm actiua, quàm passiua omnium explicitè, & implicitè nominatorum defertur tam ex Testamento, quàm ab intestato, quemadmdū si Renuncians mortua esset, præsertim verò, quod renunciatio ista non solùm facta legitur omnibus Consanguineis æqualitèr contemplatis, sed etiam fauore *delli loro Eredi, e successori qualsiuoglia*. Si ergò renunciatarij sunt Consanguineij, & Affines omnes, eorumque hæredes, nullo modo reperire licet casum translationis iurium, quia ista remanent penès omnes Renunciatarios, vel penès eorum hæredes, adeoque à tali renunciatione omninò exulat qualitas veræ translationis, sicuti tradunt *Redenasch. cons.* 46 *num.* 55., *Capon. discept.* 216. *num.* 10., & *num.* 20., *Rot. coram Bich. decis.* 586. *num.* 7., & *seqq. post cons. Ramon. decis.* 1. *n.* 32., & *in Bononien. Immissionis* 18. *Iunii* 1814. §. *Frustraque cor. R. P. D. Cerro*.

Et sanè si Renunciatio incipit ab abdicatione, & realitate licet postmodum in ea vberioris expressionis gratia adijciatur expressio Parentum, & consanguineorum omnium, adeò hæc expressio non immutat qualitatem realitatis, & abdicationis, vt per hanc nominatio-

tionem magis roboretur illius argumentum ; cùm renunciando Patri hæreditatem Patris, Matri successionem maternam, & ità de singulis consanguineis, hæc renunciatio pernecesse resoluatur in puram, & simplicem abdicationem: fieri enim non potest, quod Pater acquirat ius propriæ successionis ; & propriæ hæreditatis à filio, cui nulla viuentis hæreditas competit, quod aptatur cæteris quoque consanguineis, quibus Monialis ista successura fuisset *Capyc. Latr. consult.76. num.47. Caren. resol.59. num.12., & seq. Molfes. ad consuetud. Neapol. tit. de Renunciat. quæst.6. num.23. Gabr. cons.135. num.24. lib.2., Marin. resol. lib.2. cap.93. numero 11., Montan. controu.10. num.4. Schettin. de pact. success. par.3. sect.5. num.17. cum seqq.* optimè *Card. de Luc. de renunciat. disc.3. sub num.8., & disc,7. num.19.*, & ideò semper magis clarè euincitur, quod per hanc renunciationem nihil aliud emergit, quam subtractio Personæ Renunciantis ab omnibus ciuilibus effectibus, ità vt tamquam si mortua fuisset, Genitor, & alij in Renunciatione, siuè expresse, siuè tacitè nominati disponere possint dè iuribus, & bonis suis, proùt sibi magis libet, vt considerant, & docent *Mans. consult.8. num.424., Saminiat. contr.100. num.2., Paulut. discept.84. num.15. Torr. de pact. futur. success. lib.2. cap.8. num.6. Rot. in rec. par.11. decis.330. num.1., & in Vrbeuetana Immissionis 20. Aprilis 1711. §. Nihilominùs coram R.P.D. Ansaldo, & in dicta Eugubina Immissionis 11. Maij 1711. §. Magisque coram R.P.D. Kaunitz.*

Cum itaquè hæc renunciatio tamquam realis, pernecesse sit extinctiua iurium Renunciantis, non verò suspensiua, consequitur, quòd ab hæreditate Marchionis Monasterium nihil consequi potest ex persona d. Monialis, nedùm quià numquam reuersio dari potest, sed etiam quia deficit subiectum capax reuersionis iurium in renunciatione compræhensorum, iuxtà *Text. in l.1. §. Igitur ff. de donat., & in l. si quis Argentum §. final. Cod. de donat., Bellon. de iure accrescen. cap.10. quæst.28. num.15., & Rot. decis.1. à num.4. ad 6. sub num.23., & à num.27. ad 31. post cons. Ramon. coram Emerix Iun. decis.970. num.1., & per tot., & decis.1019., & dec.1047.*, quod etiàm vberiùs firmauit in *Caualli cen. Donationis* 21. *Nouembris* 1707. *§. Robustius, coram R.P.D. Ansaldo*, vbi dicitur iura renunciata excluso prætenso regressu transire ad hæredes, & in illius confirmatoria 2. Iulij 1710. *§. Quibus cor. R.P.D. Lancetta.*

Ex eadem reali, & abdicatiua renunciatione Filiæ, prosternitur actio, quam promouit Constantia Curietta Mater, pètens tamquam Concubina Marchionis vnciam eius hæreditatis; Etenìm deducitur hæc prætensio ad ipsis legibus, super quibus prætensio filiæ nitebatur, nimirum in *Auth. licet C. de Natural. liber. in §. Discretis, Auth.*

quib.

quib. mod. natural. effic. sui, *& in* §. *Consideremus Auth. de trient.*, *& semiss.*. At verò cum per has leges nulla successio determinetur fauore Conçubinæ in bonis Concubinarij, sed solummodo admissis ad successionem duarum vnciarum filijs naturalibus, Matri detur iure alimentorum portio virilis, si in hypothesi filia ob iustam abdicationem succedere nequit, frustrà Curietta istarum legum præsidium sibi statuebat, nam titulum petitæ successionis ei nequaquam tribuunt iuxtà regulam, de qua *Text. in l. quod constitutum est ff. de Testam. milit.*, *Rot. decis.434. num.5.*, *& decis.533. num.26. par.19. tom.2. rec.*

Nèc obstat, quod & si Legislator iusserit duarum vnciarum successionem deferri ad filios naturales, nihilominus statim adiecerit, easdem duas vncias filijs naturalibùs deferendas, esse cum Matre repartiendas, itaùt prò portione vnius filij Mater accipiat, quasi leges titulum æqualem succedendi iniustis Matribus tribuerint, quemadmodum filijs tribuerunt; Quoniam hæc illatio perperam desumitur, nàm Concubina nullum titulum Successionis à dictis legibus habet, vt directè, & absquè filiorum medio consequatur portionem in bonis Concubinarij, cum ex litera, & sensu dictarum legum integra successio duarum vnciarum filijs deferatur ibi = *in duas Paternæ substantiæ vncias succedant*, & in duobus alijs locis ibi = *Filios duas vncias Paternæ substantiæ habere cum Matre repartiendas*; Adeòque quamuis Filij successionem in duabus vnciis teneantur Matri communicare, quæ partem illius æqualem capere debet, non tamen dici potest, quod Concubina de per se independenter à successione filiorum in hæreditate Concubinarij succedat, iuxta aurea verba *Gloss. in dict.* §. *Consideremus auth. de trient.*, *& semiss.* ibi = *Nec enim Concubinam dico succedere* = *Gloss. marginal. in eodem* §. *Consideremus* ibi = *Concubina non succedit suo Concubinario etiam in subsidium* = *Bald. in cap. per tuas de maiorit.*, *& obedien.*, *Iacob. in auth. præterea C. Vnde Vir, & Vxor*, *Arguell. dè success. in respons. ad tractat. accademic. 11. num. 118.*, *& 119. fol. 1237. Guglielm. de Benedictis in cap. Raynutius Verb.*, *& Vxorem cap. 5. num. 251. de Testam.*, *Oliuer. Tettor. de success. ab intestat. in tractat. magn. to. 8. par. 1. num. 97.*, *&* 98. *fol.* 381. ibi = *Limita prædictam regulam non procedere in Concubina*, *quorum alter alteri non succedit*, *vndè apud Iuristas non est dare Bonorum possessionem vndè Concubina* = *Martin. Lauden. de legitimat. in dictis tractat. tom. 8. par. 2. num. 56. fol. 93.*, *Bolognin. ad Matesilan. de success. ab intestat. art. 4. nu. 22. fol. 337. par. 1.*, ibi = *Concubina nullo modo succedit ab intestato* = *Gratian. discept. forens. cap. 120. num. 77.*

Et quemadmodum communiter firmatum habemus, quod per dictas leges nullus Concubinæ tribuitur titulus succedendi, ita communi

DD.

DD.Sentētia docemur quod inteſtata ſucceſſio integri ſextantis debetur filijs naturalibus, *Surd. conſ.355. num.54., Cyriac. contr.237. in princ., & num.6., Cirocc. controu. Iur.36. num.62., Tiraquell. in l. Si vmquam §. Suſcepit num.129., De Marin. reſolut. Iur. cap.* 244. *num.9. lib.1., Peregrin. de fideicom, artic.28. num.49., Barry. dè ſucceſſ. ab inteſt. lib.18. tit.2. num.10., & ſeqq., Michalor. de fratrib. par.3. cap.19. num.27., Seſſ. deciſ.43. num.3., & 69., Rot. deciſ.177. num.1., & ſeqq. poſt Merlin. de legitim., & deciſ.126. num.1. coram Peutinger., & deciſ.500. num.12., & 13. par.18. rec.*, & ex his Doctoribus quoties nonnullis contingit mentionem facere de Matre prò abſoluto firmant, illam nullum ius proprium, vel directum habere ad ſucceſſionem, ſed ſubalternum, & totaliter dependens à Iure, & à ſucceſſione filiorum, & ex ſextante prædicto quicquam petere non poſſe, niſi delata prius ad filios ſucceſſione, vt patet ex collectis per *Barry. de ſucceſſ. dict. lib.18. tit.2. numero* 11., qui poſtquam tradidit admittendam eſſe matrem ad virilem portionem, ſi demum ad filios iam ſit delata ſucceſſio, notabiliter ſubdit = *quæ alioquin non ſuccederet, Michalor. de fratrib. dicta par.3. cap.19. num.27.* ibi = *Filij naturales in duabus ſuccedunt vncijs, quæ vnciæ inter naturales, & eorum Matrem diuidi debent.*

Atquè hinc inutilis concertatio viſa fuit ſuper interpretatione verborum, quibus Imperator in dicto §.*Conſideremus* Matri ſucceſſionem filiorum iuſſit eſſe partiendam, vbi dicit, *itaut prò portione vnius filij Mater accipiat*; Aggrediendo quæſtionem an verbum *Accipiat* ſit eiuſdem ſignificationis verbi *Capiat*, & an ſit directum, vel potiùs obliquum. Quamuis enim ſpectata ſignificatione eiuſdem verbi natura ſua dici poſſit obliquum, quod ſignificet actum fieri per interpoſitam perſonam, ad differentiam verbi *Capiat* directam indicantis apprehenſionem, iuxtà diſtinctionem *Alciati in l. Aliud eſt. 71. ff. de verbor. ſignificat.* ibi = *de iure accipimus à manu alterius, noſtra verò authoritate capimus* = Nihilominus omnis dirimitur quæſtio, ſi non cortex verborum, ſed legis ſenſus attendatur, quandoquidem vtraque ſignificatione donari poteſt in iſto caſu verbum *Accipiat*, vt nimirum ſit directū, ſi filij naturales ab hęreditate Patris ſextantem ſeparauerint, & illud iure ſucceſſionis conſequuti ſint, itàut Mater contrà filios iam hæredes, & poſſeſſores duarum vnciarum iure directo agere poſſit pro ſua virili, in quibus terminis loquuntur iſti Textus; Sit verò obliquum, vt mater eamdem virilē non accipiat, ſi ſextans ab hæreditate non ſit ſeparatū, mediante effectiua ſucceſſione Filiorum, quibus Imperator, ſine reſpectu ad Matrem, defert integram ſucceſſionem in duabus vncijs, cum hoc onere repartiendi cum illa, vndè Mater nullo modo, niſi per medium filiorum Virilem portionem accipere poteſt *Alban. in lucubrat. da*

Bar-

Bartol. in leg. Centurio ff. de vulgar. & pupill. ſubſtit. Alex. conſ.1. num.7. lib.1. Fuſar. de ſubſtit. quæſt.243. num.8. Rot. deciſ.548. num.9. & 10. cor. Bich.

Confirmat hanc ceteroquin communem, & litteralem legum interpretationem animaduerſio, quod etſi tribus hiſce locis, quaſi vnico verborum complexu agatur de filijs illegitimis, & eorum iniuſtis Matribus alendis ex ſubſtantia Patris,ſtatutis caſibus inteſtatò decedentis, tamen ea diſcretione leges vtuntur, quod ſingulis in locis, filij *ſuccedere* dicuntur: At verò vbi tribuunt concubinæ portionem, abſtinent leges à verbo *ſuccedere*, nè ſcilicèt honor ſucceſſionis, qui debetur filijs innocentibus, quamuis iniuſtè natis, Matri reæ, & peccatrici concedatur; Proindèque nihil officiunt *gloſ. in d. Auth. licèt, Cuiacc.*, & *alij Doctores* in oppoſitum allegati, qui aſſerunt Concubinam ſuccedere vna cum filijs naturalibus; Quandoquidem ſi demonſtratum eſt, integram ſextantis ſucceſſionem ad filios deferri, qui tenentur pro virili ad eius participationem Matrem admittere, iam conſtat, quomodò *Doctores* adducti in obiectione aſſeruerunt Concubinam ſuccedere, nempè ſucceſſione impropria, mediata, ſeù indirecta, & lato huius verbi ſumpto vocabulo, quia reuera accipit partem ſucceſſionis filijs delatam: nec prædictos *DD.* alio ſenſu aptauiſſe titulum ſucceſſionis Concubinæ affirmare licèt, eo ipſo, quod leges directam, & propriam ſucceſſionem in integris duabus vncijs filijs naturalibus tribuerunt, imò ſi vnicus, & ſolus ſuperſit filius naturalis in integro ſextante ſuccedet, vt præter Auctoritates ſuprà allegatas probat *Barbat. de fideicomm. par.1. cap.6. num.162.*, *Molin. de iuſtit. & iur. tract.2. diſp.166. vol.4.*

Et ratio ſi requiritur, ea eſt, quod concubinatus omni iure eſt illicitus, & Chriſtianis ſemper ſub pœna mortiferi peccati prohibitus fuit, vt habetur in *cap. Meretrices 32. quæſt.2. S. Thomas 3. part. ſupplem. quæſt.65. art.3. in corp. cum duob. ſeqq.*, *Leſs. de Iuſt. & Iur. lib.4. cap.3. dub.7. Sayr. lib.8. cap.2. num.3. Arias de Meſ. var. reſol. lib.3. cap.40. num.13. Couar. tom.2. epitom. in lib.4. Decretal. cap.4. num.8.*, vbi dicit, quod eſt hæreſis aſſerere fornicationem etiam ſimplicem non eſſe peccatum mortale, & iure quidem, nàm propoſitio, fornicationem ſecundum ſe nullam inuoluere malitiã, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, eſt inter Propoſitiones damnatas à ſan. mem. Innocentio XI. die 2. Maij 1679. in ordine *la* 48., & idem *Couarruu.* ſubdit, reprobans nonnullos Iuriſtas aſſerentes,concubinatum iure naturali legitimum eſſe, quod illi rectius dixiſſent, concubinatum lege ciuili non puniri, nàm tamquam de iure naturali vetitus, nullo tempore non iniuſtus habitus fuit, quia lex naturalis ſemper eſt eadem, cui aſſertioni adſtipulatur *Cicer. lib.3. de Republ. dicens = Huic legi nec abrogari fas eſt, nec derogari ex hac aliquid licet, nec tota abrogari poteſt: nec verò, aut per Senatum, aut*

per

per Populum solui hac lege possumus; nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed omnes gentes, & omni tempore, vna lex, & sempiterna, & immutabilis continebit.

Cum itaque huiusmodi concubitus tamquam iure ipso naturali reprobatus sit turpis, & filij, qui ex eo nascuntur sint vituperabiles, consequitur, quod inter Concubinarium, & Concubinam nullum considerari possit legis vinculum, vndè illa per se, & directè ius habere possit ad successionem, imò verò ex huiusmodi illicito concubitu violatur fędus amicitiæ hominis ad Deum, & hominis ad hominem, quæ sunt duo præcepta charitatis, quæ est Animæ vita, cum concubitus fornicarius tollat debitam ordinationem Parentis ad Prolem, quam natura ex concubitu intendit, vt firmat *S. Thomas in supplem. d. quæst.65. art.4.* vndè tantum abest, quod Concubinæ ex lege successio deferatur, vt maximè ea legibus repugnet, vt probatur ex *leg.1.Cod. de naturali liber. & leg.2. Cod. de donat. ob turp. caus.* vbi Legislator statuit, quod si quid Concubinæ per vltimam voluntatem impura huiusmodi Concubinarij liberalitas contulit, Fiscus inuadat: nec desunt *Doctores* mordicùs firmantes, quemlibet actum, siuè inter viuos, siuè per vltimam voluntatem, quo mediante aliquid ex mera liberalitate reliquatur Concubinæ, esse ipso iure nullum, & nullam parere actionem, vt sunt *Marcabrun. cons.1. nu.5. Giouagnon. cons.47.n.6. lib.1. Gratian. discept. forens. lib.1. cap.31. num.19. Ciarlin. controu.33. num.45. & plur. seqq. Peregin. de iur. Fisc. lib.2. tit.9. num.1. in fin. Rot. decis.46. num.6. coram Seraph. & decis.4. post tom.1. consil. Farinac.*, quod magis procedere inspecto iure ciuili nouissimo, in quo præcisè agitur de successione filiorum naturalium, tenent *Felin. in cap. cum general. num.13. de for. compet. Gratian. discept. forens. cap.31.num.3. Surd. de aliment. par.9. num.15. Paul. Christin. decis.144. lib.3. num.9. Sanfelic. decis.145. num.3. Rot. decis.46. num.2. coram Seraphin.*

Ideò quam iustè successionem Concubinæ abominantur leges, tàm æquè admittunt filios naturales erga Matres, licèt iniustas teneri ad alimenta, & hunc respectum habuisse leges, de quibus agimus, rectè conijcitur ex eo, quod *Imperator in d. Auth. licet, Cod. de natural. liber.* postquam addidit rationem successionis filiorum in duabus vncijs, quæ hæc est, *huiusmodi enim naturales filios pasci boni viri arbitrio est necessè*, addit etiam rationem cur ex sextante, in quo filijs succedunt, danda est Matri portio virilis, nempè ob pietatem filiorum erga parentes, nec indigitauit vinculum aliquod legis, aut naturæ inter Concubinam, & Concubinarium; & ideò absolutum est in iure, quod filius naturalis tenetur alere Matrem, vt in *§. Si quis Auth. quib. mod. natural. effic. sui l. hoc accurat. §. Omnibus ff. de accusat.* fusè *Capyc. Galeott. controu.3. num.8. Surd. de aliment.*

ment. par.22.num.15. & quod paritèr ad alia obſequia teneatur colligitur ex *l. quarta ff. de in ius vocando*.

Corroborantur prædicta ab inuincibili ratione, quod in caſu dd. legum ſi ſola Concubina ſuperſit, & nulli exiſtant eius filij ex Concubinario ſuſcepti, illa omninò nihil ab hæreditate capere poteſt, vt de communi teſtantur *Bald. in cap. per tuas de maiorit. & obed. Bartol. de ſucceſſ. lib.18. tit.2. num.11. Martin. Lauden. de legitim. in tractat. magn. tom.8. par.2. num.56. pag.93.*, quo poſito antecedenti conſequens eſt neceſſarium, quod Mater nullum ius proprium habeat ad ſuccedendum, nàm ſi ius haberet ad ſucceſſionem de per ſe, vtiquè ſuccederet, etiam ſi filij non extarent, & quemadmodum de Iure non extantibus filijs excluditur, ità etiam excludi debet extantibus materialiter, ſed ius non habentibus, & non ſuccedentibus filijs, quorum materialis exiſtentia ne quid minimum conferre valet ad eius ſucceſſionem, pro qua regulanda attenditur exiſtentia iuris, non autem exiſtentia facti, & in qua ſemper, & perpetuò paria fuerunt, & ſunt, filios non extare, & non poſſe ſuccedere propter renunciationem, *Roman. conſ.43. num.4. Pariſ. conſ.26. num.42.* ibi = *Paria enim ſunt filiam non extare, & non poſſe ſuccedere mediante renunciatione* = *Couarruu. de ſucceſs. ab inteſtat. par.2. cap.1. num.11. Michalor. de fratrib. cap.19. nu.18. Peregr. de iur. Fiſc. lib.3. tit.18. num.15. & 22.*

Sic videmus, quod vxor propter renunciationem filiæ nihil etiam titulo legitimæ ex hæreditate viri capere poteſt, quæ integra deuoluitur ad hæredes ab inteſtato, nec quicquam prodeſt, quod filia exiſtat ſi Patri ſuccedere non poteſt, *Rot. coram Dunozet. Iun. dec.676. num.12.13. & 30.* Multò minus igitur in pari cauſa renunciationis filiæ,portionem prætendere poteſt Mater naturalis,nempè Concubina, cum nequaquam liceat plus vitio, & turpitudini tribuere, quam honeſtati,quæ in Matre legìtima filiæ renunciantis ineſt, *Text. in leg. his ſolis in fin. Cod. de reuoc. Donat. Ioann. à Garron. in rubr. Cod. de ſecund. nupt. Ricciul. de perſon., quæ in ſtatu reprobo verſan. lib.3. cap.20. num.2.*

Fruſtrà autem conabantur inſinuare Scribentes ex authoritate *Manſij lib.3. tit.1. §. Inſtitut. de ſucceſſion. deſcendentium num.63. fol.605.*, quod Concubina per iſtas leges ſit melioris conditionis, quam vxor legitima: ſiquidem æquiuocatio eſt manifeſta, nàm laudatus Doctor, qui cęteroquin admittit doctrinā ſuprà expenſam,loquitur de fauore Concubinæ reſpectu filiorum naturalium Patri ſuccedentium, à quibus capit ſuam portionem, quod non procedit in Matre iuſta, quæ non præſumitur pauper, ſicut Concubina, cuius paupertatis intuitu leges illam ad virilem portionem admittunt; Alioquin laudatus Doctor ineptè loqueretur, nàm tantum abeſt, quod per iſtas leges Con-

cubi-

cubina sit melioris conditionis, quam vxor legitima, vt si hæc superuiuat marito, cesset titulus successionis fauore filiorum naturalium, vndè multò magis ob fauorem legitimæ vxoris indirectà consequitur exclusio Concubinæ, quæ non nisi à filijs portionem capit, vt præter literalem dispositionem dictorum *Textuum* firmant *Merlin. de legitim. lib.*1. *tit.*2. *quæst.*4. *num.*1. *Bartol. de success. ab intestat. lib.*18. *tit.*1. *num.*17. *Peregrin. de iur. Fisc. tit.*18. *lib.*3. *n.*1. *in fin.*

Et ità vtraque &c.